

cautionem fideiussoriam faciens, quod ascendat ante glaciem onerata; si autem non ascenderit ante glaciem, pro theloneo quartum dimidium fertonem dabit. Item navis quae archa vel prom dicitur in litore ex novo constructa si descenderit cum lapidibus vel lignis, nihil dabit, praedicto modo, quod ante glaciem onerata redeat, fideiussoriam faciens cautionem; quae si non ascenderit, pro theloneo septem lotos dabit. Item navis quae vloze dicitur constructa et composita de novo in litore si deducit lapides vel ligna, dabit unum fertonem. Item de lignis quae versus Maidburg ducentur sive desursum veniant sive ibidem in litore colligata fuerint de sexagena eorundem quae limina et vulgariter swollen dicuntur, detur dimidius lotus, de sexagena lignorum quae trabes dicuntur sex denarii, de sexagena lignorum vulgariter balken dictorum quatuor denarii, de sexagena lignorum quae in vulgo nuncupantur sparrin duo<sup>1)</sup> denarii, de sexagena parvarum trabium denarius unus detur, de sexaginta sexagenis cilindrii quatuor denarii, de sexaginta sexagenis stucschindils octo denarii, de sexaginta sexagenis becherholez octo denarii. Lapis qui in vloz ducitur<sup>2)</sup> infra det duos denarios, lapis dictus schale unum solvet denarium; item si lapis ducitur in curru vel aliter quam in curru, dabit idem quod daret ductus super aquam; de lapide slifstein unum denarium. Item de carrata mellis detur unus fertonem. Mensura sturnicz dicta mellis in Boemiam ducenda tres solvet denarios; currus mellis veniens de Budissin vel de Drezden seu de quocumque alio loco quatuordecim denariosolvere teneatur. De massa stagni, plumbi vel cupri quae in vulgo dicitur last medius fertonem detur, centenarius praedictorum duos det denarios, lapis eorundem medium denarium. Item patella ad braxandum facta de qualibet acie quatuor denarios. Item centum quinquaginta cutes bovini vel equini corii ductae de Bohemia vel trans Albeam vel de quacumque aliena terra pro conductu dabunt mediam marcam, si autem incola civitatis tale corium adduxerit nihil dabit. Centum cutes hircini vel bovini corii decem denarios, centum cuticulae agnellinae dimidium<sup>3)</sup> lotum, centum vero hircinae pelliculae quatuor denarios dare debent<sup>4)</sup>; cutis recens seu cruda dimidium dabit denarium. Item sagina nobilium pannorum quae in vulgo soim dicitur alterum dimidium fertonem; unus pannus nobilis Bohemiam ducendus quatuor denarios dabit, unus pannus brevis Renensis vel Poprensis tres denarios, pannus in provincia factus duos denarios, et si incola civitatis dictos pannos in Boemiam duxerit, dabit medium theloneum; pannus in Drezden factus et venditus unum denarium, pannus in civitate incisus si deportatur nihil det et omnis pannus praecisus nihil dabit. Item carrata vini Gallici Vngarici Australici vel Alsatici unum fertonem et duos grossos, carrata vini adducta duos grossos solvet; si advena adducit propinans in civitate nihil dabit pro theloneo, sed civibus dabit fertonem pro censu celarii. Item Boemiale theloneum de sale: Sal quod mensuratur in Pirn ex nave et ducitur in Bohemiam de centum mensuris, quae in vulgo soch dicitur, duos grossos dabit; item si sal de curribus ad navem portatur et sursum ducitur, de centum mensuris quatuor grossos solvet; item currus salis adductus cum quatuor equis vel tribus dabit undecim denarios et ad cambium III<sup>or</sup> grossos solvet, currus salis adductus cum duobus equis dabit undecim denarios et ad cambium tres grossos, currus cum uno equo undecim denarios et ad cambium duos grossos, item biga salis sextum

1) Orig. duos. 2) Orig. dicitur. 3) Orig. dimidius. 4) Orig. debet.